

XIV. De Poenitentia.²²⁹

Doctrina verae poenitentiae fuit ab initio mundi per totum Vetus Testamentum praedicata, sua quaedam habens sibi annexa sacramenta, ut circumcissionem, iustitiae signaculum et alia, quare non est ut sacramentum Noui Testamenti censendum. 5

[129:] Poenitentia vero Papistica, quae partes substantiales habet contritionem cordis, confessionem oris, cum enumeratione peccatorum, et satisfactionem operis, non solum non est inter sacramenta Novi Testamenti computanda, sed est prorsus impia et blasphema contra filium Dei, qui satisfacit pro peccatis totius mundi. 10

Porro vera poenitentia est hominis conuersio ad Deum per veram contritionem, quae secum affert veram et peccatorum et mortis aeternae propter peccatum agnitionem ex praedicatione legis; deinde per veram fidem, quae Dei gratiam et redemptionis beneficium apprehendit, ex euangelii praedicatione; postremo per nouitatem vitae, cruce et charitatis operibus ornatam, ex praedicatione legis et Euangelii simul. Nunc autem, cum sacramentorum praecipuus finis sit, ut fidem, quae principalis pars est poenitentiae, confirmet, constat poenitentiam non esse sacramentum, sed id quod sacramentis confirmatur in cordibus hominum christianorum, praesertim, cum ab initio mundi semper sit praedicata in lege et euangelio, non ut vera sacramenta, primum in Nouo Testamento instituta; deinde cum non habeat elementum aliquod, ad quod accedat verbum, sicut fit in veris sacramentis;²³⁰ postremo cum non habeat eundem finem cum veris sacramentis, quod sit signum gratiae et reconciliationis, ad confirmandam fidem: sed quod doctrina poenitentiae contineat ipsam gratiam Dei, beneficium redemptionis et veram fidem haec apprehendentem, quam deinde sacramenta stabiliant et confirmant. 15 20 25

Porro Papistica absolutio, quam liber hic infert sub vocabulo poenitentiae, tantum abest, ut sit sacramentum, quin etiam sit impia, non solum propter enumerationem peccatorum, quam neque Dominus ipse, neque Apostoli, neque S. Patres ut necessariam cuiquam imposuerunt,²³¹ sed etiam propter impiam satisfactionem pro peccatis, quae blasphema est in sanam doctrinam de satisfactione mediatoris. 30

Vera absolutio, quae non solum in publica praedicatione et priuata consolatione ministris est mandata, sed etiam omnibus membris in Ecclesia Christi, ita ut pius homo vel solus sibi ipsi possit remissionem peccatorum, cum necessitas tanta id postulauerit, annunciare, non videtur nobis eandem om- 35

²²⁹ Vgl. Augsburger Interim XVII, 83.85.

²³⁰ Vgl. Augustin, In euangelium Ioannis tractatus LXXX,3, in: PL 35, 1840 (CChr.SL 36, 529,5–7).

²³¹ Gegen das Aufzählen aller Sünden in der Beichte spricht sich Luther klar im Großen Katechismus aus, vgl. BSLK 725,31–726,4; 729,20–40.